

DOCUMENT #45
Allocution of Bishop Bauer
1884

Allocutio Rmi. Episcopi Dr. Franc. Bauer ad conventum ante electionem Abbatis Rmi. Anselmi Rambousek

Reverendi et Religiosi Domini Conventuales!

Quod statutum est omnibus hominibus, ante quatuor et quod excedit menses accidit et aestimatissimo huiusce monasterii Ordinis s. Augustini Abbati Gregorio de observanda s. Ordinis disciplina et bonis Monasterii administrandis tuendisque optime merito: praematura morte subreptus est filiis suis. Attamen haec est singularis vitae monasticae ratio, ut non tantum Patres sibi generent filios, sed et filii sibi procreent Patres. Quemadmodum vero, monente gentium Apostolo, nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatus est tamquam Aaron: ita sane nemo quoque vocet sibi aliquem sibi patrem, nisi eo ductus Spiritu, in quo nobis clamandum Abba, Pater! Merito itaque lege statutum est, ut Abbatum electio sub huiusce fiat Spiritus invocatione, utpote qui ducit in omnem veritatem et suggerit omnia. Quum iam vos, Reverendi et Religiosi Domini Conventuales, in eo sitis, ut electione Vobis praeficiatis, quem patris instar habeatis, prae omnibus reliquis enixis precibus compellendus est Vobis Spiritus S. Paraclitus, qui det Vobis in electione recta sapere et de electione perfecta sincere gaudere Amen.